

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

De calumnia, obtrectatione, et convitio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ac reformatorum, contra abusum bonorum ecclesiasticorum consensum, non præjudicare hodiernis eorum usurpatoribus sive titulatīs sive non titulatīs : quod non agant de bonis ecclesiasticis à Papatu relictis, aut post reformationem iniquæ possessorum catervæ ereptis. Quasi ullus theologus, aut Jureconsultus aut politicus reformatus agens de usu & abusu bonorum sacrorum, de aliis quam de modo dictis, unquam locutus esset.

DE CALUMNIA, OBTRACTATIONE, ET CONVITIO.

Resp. JACOBO SCHUYLENBURCH Amstelod. 12. Martii 1662.

Cathechesis nostra quæst. 112. nono decalogi præcepto repugnare ait calumniam, obtractationem, convitium. Ad cujus plenorem explicationem visum est sequentem diatriben studiosis nostris impartiri.

S. I.



Ustitiæ opponitur, injustitia : generali generalis hoc est, inobedientia obedientiæ legibus debitæ : particulari particularis. Quæ cum duplex sit habitualis, & actualis : ista propriè dicitur injuria, est autem *injuria* latè sumta quæcunque juris violatio ; seu quodcunque non fit jure. Philosophus 5. Ethic. Nicom. cap. 1. *ῥόμην ἐν τῷ ἴσῳ*, id est, *jus* seu *justum* est quod *legitimum* (seu quod legibus sancitum), & quod *æquale* est. Injustum quod in legem committitur (seu quod illegitimum est) & quod *iniquum* est. Paulo ante hominem injustum descripsit, quod sit, *qui contra legem committit, & plus sibi vendicat quam par sit* (*πλεονέκτης*) & *qui inæqualis est*. Stricte injuria notat injustitiam actualem verbis aut factis proximo illatam. Quæ acceptio in scholis & usu communi admodum frequentata est. Per injustitiam enim intelligunt, cum Aristotele loc. cit. sub finem, *virtutem quæ ad alterum refertur. Aliorum enim utilitati consulit, &c.*

Stricte notat, damnum famæ & existimationi proximi verbis pronuntiatis aut scriptis illatum. Ad verba reduci debent gestus, & externa quæcunque signa juxta communem usum vocibus articulatis in significandis animi cogitationibus & affectibus æquivalentia. Et hoc vitium communiter à principali specie nominibus *calumniæ, detractionis*, denotari solet.

Calumniam ex antiquis grammaticis Nonius Marcellus cap. 4. §. 74. describit *malitiosam & mendacem infamationem*. Ad hujus descriptionis intelligentiam, præcognoscendum quid sit *fama*. Vox *fama* aliquando significat communem opinionem de aliquo voce manifestatam, ex suspicio-

ne proveniente. Ut ferè idem sit quod *rumor*. Aliquando notat idem quod *existimatio hominis*: quæ est *dignitatis illius status legibus ac moribus comprobatus*. Hinc patet, quid sit infamia, infamatio. Hæc fit, cum fama & existimatio alicujus dicto, vel scripto, vel facto, laesitur, suggillatur, læditur. Isidorus Hispalensis lib. 5. *origin. cap. 26.* calumniam angustius describit, quod sit *jurgium alienæ litis, à calvendo, id est, decipiendo dicta*. Quæ eadem ferè est descriptio Jureconsult. qui cum Cicerone lib. 1. *offic.* definiunt *callidam & malitosam juris interpretationem*. Vel cum Azone in summâ cum quis ex certâ scientiâ & dolo injustè agit. Ex recentioribus Tholosanus lib. 52. *syntagm. c. 20.* Calumniari est *falsa crimina utendere, & malitiose & studio vexandi*. Althufius lib. 1. *dicalogiæ cap. 135.* Est actio de delicto commisso, malitiosè alicui intentata, *divexandi & dissamandi illius causâ*. Aufonius Popma, lib. 1. de differentiis vocum, cum in genere descripsisset, quod sit *callida quadam fallendi ratio cum malevolentia conjuncta*: mox subdit: *Sed calumnia propriè est accusatorum, & significat falsum crimen, quod intenditur in judicio adversus innocentem, ut litibus vexetur ac frustretur*. Ante illos Alcarius lib. 4. de verborum significatione, pag. 105. 106. edit. in 8. defendens Jureconsultos contra Laur. Vallam, qui notat voces *prævaricari, tergiversari, calumniari* generalius accipien- das, quam Jureconsulti docuerint, sic distinguit: *nimirum oblitus, non docere eos simpliciter eorum verborum significationem, sed specialiter in Senatusconsulto Turpiliano quomodo accipi debeant, ut ejus pœna locus sit*. Quâ distinctione, diffidium de vocis calumniæ acceptione tollitur. Inter theolo- gos antiquos Nazianzenus in definitionibus (quas appellat *παραρρησεις*, & versibus jambicis inclusit) *διαβολή* calumniam dicit esse *sycophantiam oc- cultam*. Sycophantiam vero esse *falsam rerum puniendarum accusationem*. Talis angusta Calumniæ descriptio adaptatur à scholasticis cum Gersono in regulis moralibus, & Thomâ 22. q. 73. art. 4. voci *detractionis*, quæ ibi describitur, *alienæ famæ per verba denigratio*: Observandum, Thomam in- jurias distinguere in factorum & verborum: Verbalem injuriam rursus distinguere in eam quæ in judicio, & eam quæ extra judicium committi- tur. Posteriorem tractat qu. 72. - 77. & distribuit in quatuor species, *contumeliam seu convitium, detractionem, susurrationem, maledictionem*. Discrimen inter contumeliam, & detractionem, ac susurrationem tale consti- tuit: quod prima committatur in proximum præsentem, reliquæ in proxi- mum absentem aut ignorantem: Quodque illa honorem proximi lædat: istæ ejusdem famam minuant aut auferant. Per contumeliam enim deduci- tur quid in notitiam patientis & aliorum, quod est contra honorem ipsius.

Cujus species quidam statuunt, *contumeliam* strictissime dictam, *exprobrationem* seu *improperium*, *convitium*. Quorum *primum* objicit defectum culpæ, e. gr. furtum : *secundum* objicit defectum minorationis & indigentia, qui defectus etiam derogat honori consequenti quamcunque excellentiam, e. gr. quando quis injuriose alteri objicit auxilium quod contulit ei in necessitate. *Tertium* objicit defectum aut culpæ, aut poenæ. Exemplum posterioris est, quando quis objicit alicui cœcitatē, balbutiē, gibbositatem, &c. aut stupiditatem, delirium, stultitiam, insaniam, &c. Quod si verè fiat, dicitur convitium, sed non contumelia; sin falsò, etiam ad contumeliam & calumniam reducitur. *Thomas* post allatam subdivisionem contumeliæ in genere sic dictæ, concedit quandoque unum illorum pro alio poni. Ad quod *Cajetanus* ibidem movendo quæstionem, determinat contumeliam esse speciem specialissimam, quæ specificam unitatem habet ex unitate honoris, contra quem tendit : esse tamen diversitatem graduum secundum magis & minus, dum unus defectus contumeliosè objectus magis dehonorat, quam alius.

Inter detractiōem & suffurationem à *Thoma* qu. 74. artic. 1. sic distinguitur, quod illà proximi honor, istà vero ejusdem amicitia lædatur & illius separatio intendatur. Idem qu. 73. artic. 1. *irrisiōem* seu *subjannationem* tanquam speciale peccatum à contumeliâ, detractiōe, suffuratione distinguit, quod per eam intendatur proximi erubescētia.

Nos putamus in genere voce *maledicentiæ* seu *maledictionis* adversus proximum, aut voce obtractationis κατὰ λῶν (quâ scriptura utitur) omnes injurias verbales comprehendi : ejusque synonyma esse *contumeliam*, *calumniam*, &c. prout à philosophis aut theologis latè aut strictè, propriè aut synecdochicè voces illę accipiuntur.

Obtractatio est, quando quis malè de alio prædicat, laudem ejus minuit : Et sic obtractator L. unic. C. quando quis Imperat. maledix. dicitur *laudis detractor*. Species earum tum intermediæ tum specialissimæ variè à variis constituuntur, secundum distincta objecta, fines, gradus, modos, circumstantias. Nos ἀκριβολογίας non sectabimur, contenti rem ipsam, hoc est vicia per reales descriptiones & divisiones detegere, fugam eorum suadere.

- §.2. Omnis injuria verbalis (*Thomas* in titulo qu. 72. appellat *injurias verborum*, & qu. 67. in præmissa divisione *nocumenta verborum*) committitur, vel in iudicio, vel extra iudicium. Illius species tractantur à *Thoma* qu. 67. -- 72.; ubi tum in realem tum in verbalem injuriam seu injustitiam accusatoris, rei, testis, advocati inquirunt. Sed malumus hic sequi divisiones JCC. qui ex professo & fusè injurias verbales, quas nomine calumnię complectuntur, enumerant.

In iudicio ergo, secundum ipsos, calumnia committitur: quando quis actionem de delicto commissio malitiosè alicui intentat, vexandi aut diffamandi illius causâ: aut alium accusatorem instigat, instruit, submittit, eique mandat acculare; ut se periculo calumniæ eximat: aut in fraudem alterius librum testimoniumve falsum conscribit: aut non probat, quod intendit: aut falsò defert: aut causam injustam palliat: aut litem redimit: aut ad alios vexandos actiones sibi cedi curat: aut ad litem alii movendam, pecuniam vel aliud accepit: aut lucri, vindictæ, ἀντιπαρρησίας studio falsa crimina defert: aut patronus causæ, non satis fideliter & bonâ fide causam & negotium sui clientis tractans: aut patronus improbam vel desperatam causam fovens: aut patronus litem protrahens: aut advocatus, procurator, sollicitator de quota litis cum cliente paciscens in casu victoriæ; aut litium concinnatores, qui temerè ab æquis iudicum sententiis provocantes, adversarium impensis vexant: Hæc ex legibus & consensu Doctorum probata ab *Althusio lib. 1. cap. 105.* Ethici & Theologi haut illibenter adoptabunt, quod ex jure divino & naturali educta sint, aut ad illud reduci possint.

Sed quia hæc calumniarum genera ab accusatore, teste, avvocato, sollicitatore propriè committuntur, aliqua addenda sunt.

Calumnia à reo committitur (secundum Casuistas apud *Bonacinam* in voce *detraçtio*) cum verum crimen, quod fateri debet, negando accusatorem infamat. J. C. C. apud *Althusium loc. cit.* statuunt reum in excipiendo pro actore haberi, quando scil. quid adseverat, non quando negat.

Quod ad *judicem*, is iniquam sententiam ferendo, aut justam sententiam non ferendo, sed tempus extrahendo, aut totum processum ex paxillo (uti loquuntur) in perpetuum suspendendo, gravissimum detractionis, infamationis, calumniæ, peccatum committere potest: & quidem primariò aut propriè in actione infamationis, detractionis, &c. ubi de vindicatione & restitutione famæ agitur.

Quærit hic *Thomas quæst. 67. art. 3.*

Utrum iudex possit aliquem condemnare, etiamsi non sit accusatus. Et art. 2. Utrum debeat iudicare non secundum veritatem, quam esse novit, sed secundum leges & ea quæ per allegata, probata, testes, ipsi publicè innotuerunt. Prius neg. poster. aff. & cum eo commentatores *Cajetanus, Salonijs, Arragonis, Valentia;* & ex Casuistis *Diana & clavis Regia, Toletus lib. 5. cap. 56.*; & complures ex antiquis Scholasticis, ut *Alex. Hales, de Palude, Richardus, de Tarantasia;* denique & Canonistæ, inter quos celeberrimus *Cavarruvias lib. 1. variar. resolut. cap. 1.* Sed in casu condemnationis ad

capitis supplicium aut ad corporis mutilationem; negat *Imman. Sa*, *Bonacina*, *Filiucius*, de *Grassius*, & inter comment. ad *Thomam Sylviu*, *Malderus*; *Petrus à Navarra* in tract. de restitutione, *Lessius* de *Justit. & Jure*; Inter comment. ad *Exod. 23. v. 7. Lyranus*.

Ratio est, quia Innocentem condemnare repugnat legi naturali & divinæ *Exod. 23. v. 7. Proverb. 17. v. 15. Jesa. 5. v. 20*. Nec quidquam hic juvatur conscientia, per *Thomæ* effugium & distinctionem, quod judicium spectet judicem non ut privatam, sed ut publicam potestatem habet. Nullus enim respectus, nulla distinctio justam reddit innocentis condemnationem: & minimè omnium in judice, cui peculiariter hoc prohibetur *Exod. 23. v. 7*. Et in quo peculiariter requiritur duplex scilicet scientiæ & conscientiæ. Sed qui contra scientiam & conscientiam judicat, is sine peccato non est; quidquid intendat, aut prætexat, & à quâcunque lege ac potestate humanâ obligetur. Jam verò peccatum nullo modo est eligibile, ut alibi recte *Cajetanus* in comment. ad *Rom. 3. v. 8*. qui ad locum *Thomæ* cit. operosâ & apparente subtilitate pugnat pro ejusdem opinione. Sed velim, ad casum hunc à pontificiis responderi: Judices olim in Imperio Romano secundum edicta & rescripta Imperatorum & Senatus ex allegatis & probatis, imprimis ex propriâ confessione deprehensos Christianos ad supplicia condemnabant. Sic in imperio Japonico ante annos aliquot quamplurimi istius gentis, & cum iis Europei aliquot tum clerici tum laici ob Papalis Christianismi professionem ad crudelia supplicia damnati sunt. Et *Pilatus* contra privatam suam scientiam damnabat Christum.

Queritur an judices illi sine peccato hoc fecerint; quia secundum leges ex allegatis & probatis? Sed fortè contra quæres, *Quid ergo judices illi facturi sint? An munus publicum abjecturi, ad quod iuramento & obligatione ad bonum publicum tenentur?* Quidni? Sic suadent autores modo indicati, qui hîc à *Thomâ* discedunt: etiam si, inquit *Basseus*, reus innocens eo juvandum non esset. *Malderus* de *Justit. & relig. tract. 6. cap. 1. dub. 13*. ubi validè opinionem *Thomæ* oppugnat, rectè addit judicem non tantum officii privationem sed & mortem potius pati debere, quam innocentem contra privatam scientiam suam condemnare. Sed de hac controversiâ alibi fortè pluribus disceptandum.

- §.3. Obtractationes, contumeliæ, calumniæ, detractationes, infamationes extra judicium in multas species seu modos distingui possunt. Et quis omnes enumeret? Si ulli vitio, certè huic vitio linguæ convenit illud, *Mille nocendi artes*, &c. Comparari fere potest cum *Aristotelis* infinito potentiâ, hoc est cum quantitate discreta. Sicut enim nullus numerus sic pertransfiri potest, ut non possit extra eum numerari & major numerus cogitari aut de-

designari: sic à nullo ethico aut theologo species & modi hujus vitii ita in luce positi sunt, nec unquam, ut arbitror, ponentur, ut non possint alii ex tenebris suis, obfreticante experientiae luce, erui. *Thomas qu. 73. artic. 1. ad 3.* septem modos detractionis (strictè dictæ & à contumeliâ, convitio, susurratione distinctæ) recenset: Quando quis falsum imponit alteri: quando peccatum adauget suis verbis: quando occultum revelat: quando id quod bonum est dicit malâ intentione factum: quando negat bonum alterius: quando malitiose reticet: quando minuit. *Theophrastus* in characteribus exhibet nobis egregias descriptiones cavillationis *ειρωνείας*, famigationis *λογισμίας*, maledicentiae *κακολογίας*, loquacitatis *δαλίας*; garrulitatis *αἰδολογίας*. Moralistæ & Cakistæ quales *Alexander Anglus* seu *Halez* in *destructorio vitiorum*, *Bonacina*, *Toletus*, *Grassius*, *Azorius*, *Sa*, *Navarrus*, aliique recentiores communiter detractionis modos dividunt in directos, & indirectos; quorum illi versantur circa malum, isti circa bonum proximi: qui istis versiculis includuntur

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.

Sed aliter, atque ulterius injuriæ verbales proximi famæ illatæ, sepositis crispibus circa vocum laxiores aut strictiores acceptiones, dividi posse videntur.

Injuria verbalis in genere est, quâ alterius dignitas, existimatio, honor & fama verbis pronuntiatis aut scriptis minuitur & læditur: & dicitur infamia, obrectatio, diffamatio, ignominia, contumelia gr. *βέβη*. Ubi duo concurrunt, verba injuriosa, & animus injuriandi.

Verba injuriosa sunt, quæ suâ naturâ præ se ferunt injuriam, quæ bonis moribus, honestati, pudori, existimationi, famæ, dignitati, honori alterius sunt contraria, vel ad sugillationem alterius prolata; ita ut ex iis alii sinistram opinionem concipere possint de alio.

Animus injuriandi est, quando quis in alterius contumeliam, contemptum quid dicit aut scribit, quo ejus honori, famæ, existimationi, opinioni, nomini, pudori, authoritati, statui vel conditioni detrahendum cupit, eaque minuere intendit. Sic fere describunt JCC. apud *Tholosanum* & *Althusium*. Ubi addunt: *ita ut ex iis alii opinionem improbam concipere possint de alio, quasi deliquerit, vel contra leges fecisse videatur, atque de se malè sentiendi causam præbuerit.* Quod additamentum descriptionem generalem nimis angustam facere videtur. Ulterius enim se extendunt verba, per quæ quis apud alios vilescere & contemni posset, ejusque pudori, authoritati, statui vel conditioni detrahi: etiam si nemo improbam de eo opinionem conciperet, *quasi deliquisset, vel contra leges fecisset.* Hoc vidit *Thomas*,

cum scholasticis suis, cum *quest. 72. artic. 1.* ad mala poenæ extendit, ponit exemplum convitii, quo quis alteri injuriose dicit, eum esse cæcum; convitium, inquit, quidem dicit, sed non contumeliam. Simile exemplum habemus. *Matth. 5. vers. 6.* Exemplum exprobatæ à Thomâ ibidem adfertur, quando quis alteri injuriosè ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti. Hic nullum patientis delictum est, nec à quoquam ex injurioso illo convitio aut exprobratione excusculpi potest. Videtur mihi, salvo aliorum judicio, magis adæquata & accurata generalis sive definitio sive descriptio celeberrimi canonistæ (quem J. C. quis in apposito epigrammate encomiastico, monarcham juris indigitat) Martini ab Azpilcucta Navarri in Manuali confessar. &c. cap. 18. §. de detractioe num. 12. Detractio sive murmuratio, quæ pro eodem hic sumitur, diffiniri potest significatio alicujus mali cujuspiam hominis non canonizati inordinata, directæ vel indirectæ, quâ leditur vel periclitatur ejus Fama.

Tota hæc mihi probatur. Excepto eo, quod de homine canonizato distinctionis causâ interit, & alteri disquisitioni relinquendum est. Si Deum & res divinas substituisset, per quod blasphemia strictè & appropriatè sic dicta, à detractioe distinguitur, utique nullum dubium moverem.

„Explicationem definitionis quam ibidem subjicit, probō. Dixi, inquit, „(significatio) pro genere; in quo convenit cum mendacio, & omnibus „aliis verborum peccatis supra dictis. Dixi (alicujus mali) ad comprehen- „dendum omne malum culpæ, poenæ & defectus naturæ, & etiam dimi- „nutionem boni, &c. Dixi (inordinata), quia non est mala, immo bo- „na significatio juridica, &c. Dixi (directæ vel indirectæ) ad includendam „significationem, quâ directè significatur bonum, sed tacitè vel indirectè „denotatur malum; qualis est illa, quâ significatur monachus esse robustus, „rubicundus; artis venandi & equitandi valdè peritus: per illa enim sig- „nificatur indirectè, quod carni magis quam spiritui deservit. Dixi (ladi- „tur) non (tollitur) ad includendam læsionem partis famæ. Dixi (aut peri- „clitatur) ad includendam significationem mali, quâ non leditur fama, „sed est causa sufficiens ledendi, ex parte significantis. Ut cum significatur „malum alicui non credenti illud propter suam virtutem, vel utilitatem „dicentis, vel auctoritatem fide dignioris contradicentis. Dixi (fama vel „gloria) quia significatio mali, quatenus tollit honorem non est detractio, „sed contumelia, &c. Nota hic *πρόσωπον* scriptoris, aut typographi: vox enim gloria in generali hac definitione non compareret, quamvis in eâ com- „parere deberet. „Pergit Navarrus: Non addidi tamen ut Thomas, Antonin., „& communis, verbum (aliena) quia non solum est detractor, qui ali- „um, sed etiam qui seipsum infamat, &c. Non etiam addidi (secreto),

ut prædicti : quia quamvis regulariter detractio in absentia fiat ; potest tamen fieri in præsentia , ut sæpe fit. Nam qui alteri præsentem malum significat , quo eum infamet , quamvis id (ut communis dicit) sit contumelia , quatenus tollit honorem , est tamen etiam detractio , quatenus famam tollit , ut idem Antoninus , ubi supra , explicavit , & probatur per illud Aristotelis , Ethic. 3. Qui furatur ut adulteretur , per se loquendo magis adulter est , quam fur. Rectè sane. Ipsa formalia philosophi verba sic se habent : *Est etiam alia quadam injustitia , quæ velut pars est universæ , & injuria quadam quæ in parte est injuriæ universæ , quæ legem violat. Adde quod si alius quidam lucrandi causa mœchetur , insuperque accipiat ; alius vero tribuat , damnoque afficiatur ob cupiditatem : hic sane intemperans (ἀντράς) magis esse videbitur , quam πλεονεξίας & fraudator , vel plurius cupidus ; ille autem injustus , non intemperans. Videat , cui vacat commentaria Andron. Rhodii , Pacii , Mureti , Riccoboni , Aidii , & ex scholasticis Javelli & Verforis ad loc. cit. qui duo posteriores ad elucidationem textus ad vocant hoc axioma : Actus virtutum & vitiorum diversificantur & sumunt speciem à fine : quem Thomas 1. 2. quæst. 72. artic. 8. & 9. appellat motivum ; quia finis movet efficientem ad agendum. Sicuti e. gr. pleonexia & fraudatio sacrilegæ Achanis , quæ Deo devota , consequenter cuicumque alteri mortua , seu mortificata subtrahebat (ἐκκοφιστική) habet versio gr. Josue 7. vers. 1. quæ eadem vox Actor. 5. vers. 2.) ex. gr. anathema cherem pallii , auri atque argenti , & propriis usibus applicare studebat , principale erat peccatum contra peculiare præceptum de Jerichunte cum omnibus incolis & bonis anathema faciendo. In argento & lingua aurea quæ Deo & sanctuario subduxerat Achan in proprios usus conversurus , violatum esse præceptum anathematis seu cherem , exponunt & præsupponunt interpretes nostri quotquot in materiam hujus textus commentantur , ut Bibliander , Borrhauts , Chytraeus , Lavaterus , Drusus , Math. Martinus , Andr. Osiander ; Richardsonus episcopus Ardagensis in selectis observationibus ad V. T. post obitum ejus lectis , relectis , & approbatus ab Ushero Armachano , & Thoma Gattakero. His addo Lancelotum Andrews in lat. concione ad Prov. 20. v. 15. Willet. in Lev. 27. qu. 9. Daneum Ethic. Christ. c. 15. & Andreæm Rivetum in animadvers. in Grotii notas ad Cassandrum S. 16.*

Ex antiquis patribus Origenem homil. 7. in Josua , Prudentium in psychomach. Gregor. M. citatum c. ecclesia 1. qu. 4. Pontificios comentatores studio nunc prætereo ; quos omnes fulmina ex Achanis igni in sacrilegos fabricare nimis notum est. Quid vetat unum atque alterum ex jureconf. ad partes adducere ? si forte aliqui eos de sacrilegio differentes audire malint , quam theologos , præsertim orthodoxos seu reformatos ; à quorum religio-

ne & disciplinâ Remonstrantes, neutrales, libertini haut parum alieni sunt, quosque partibus & rebus hîc studere si non sibi, saltem aliis persuasum velint. Indico istos ergo in illo ordine polyistoras; *Andr. Masium* consiliarium ducis Cliviæ in *commentar. ad Jos. 7.* & celeberrimum *Grotium* in *annotatis ad Cassandrum S. 16. Tholoj. lib. 3. c. 2.* *Joh. Langum* ad *Justinum c. Tryphonem p. 278.* Omnes illi autores iræ Dei in populum & terribilis poenæ Achani inflicte exsertè causam faciunt furtum, sacrilegium, ablationem anathematis. Genuinam hanc, planam & tritam, communemque interpretationem ex *v. 1. & 11.* & reliquis circumstantiis textus, aliisque collatis scripturæ testimoniis alibi ex professo vindicamus *part. 1. polit. eccles. lib. 4. tr. 2. cap. 10.*

Nunc in hac digressiunculâ occasione exempli allati suffecerit indicasse in præservatione pallii seu chlamydis peccatum principale fuisse, non omissionem destructionis hujus anathematis destructivi, sed commissionem subreptionis & in usum suum conversionis: illa enim ad hanc ordinata erat: ita ut genus peccati constituendum sit in sacrilegio utriusque anathematis tum destructivi, chlamydis scil., tum usualis auri scil. & argenti.

Distinctionem hanc anathematis erutam ex *Levit. c. 27.* explicant *Seldenus l. 4. de jure naturali & Gentium, &c. c. 9. & 10. Willetus in Levit. 27. qu. 2.* eximius theologus, cum viveret, in Theologiâ nobis *iorphæ*, & in utroque ministerio collega conjunctissimus *Carol. de Maets, in diatribâ de Voto Jephthæ part. 13.* Hoc sacrilegium, hoc peccatum fraudulentæ contrectationis si in species, si totum in partes dispescas easque inter se compares, invenies usua-lem subreptionem esse speciem aut partem principalem, ejusque malitiam peculiari gradu auctam: ubi non tantum destructioni anathema subtraheretur, sed & usui sanctuarii: quod posterius cum peccato Ananiæ *Actor. 5.* à theologis communiter comparari solet: ita ut ad terrorem sacrilegis incurrendum duo hæc gravia & insolita in ipsos judicia proponant. Ut propius ex Ethicæ & theologiæ axiomatibus urgeam, dico in furto chlamydis, non esse formale peccatum in *rd* negativo, quod non reliquerit chlamydem communi destructioni seu corruptioni per ignem, aut per aquam sive pluviam sive fluvialem, aut per calorem ambientem, aut per putredinem rudibus, cloacis, luto, sterquiliniis obventuram: sed in *rd* positivo, quod scil. sacrum & Deo devotum anathema ad abolitionem seu destructionem, fraudulenter, & avarè contrectaverit, hoc est, furatus sit. Pius momentum, *rd* Negativum ordine naturæ præcedit, & præsupponitur, & ad posterius ordinatum, tanquam aliquid sine quo non: sed posterius momentum *rd* positivum, specificat; prout omnis ultimus actus, ultima forma specificat. Et hoc signatè dicitur quod peccatum in anathemate commissum sit,

fit, non purè aut saltem principaliter inadvertentiâ, aut negligentia, aut præteritione, aut speciali omissione actualis & positivæ destructionis (ad talem enim chlamydis positivum, directum, & singularem destructionis actum Achanem hic & nunc obligatum fuisse ex ingenio si conjici potest, saltem ex scripturâ non probabitur); sed avaritiâ & malitiâ fraudulenter contrectatâ, hoc est, furto ablata & absconditâ rei alienæ, quæ ipsius in bonis esse non poterat, nec ullâ ratione ab Achane aut aliquo Israëlita ejus *ἀλλοτρίοις* aut *ἑτεροῖς* acquiri. Legat quis absque præjudicio vers. 2. ubi specificatur peccatum in cherem commissum, & accepit seu sumsit Achan. Vide c. 6. v. 8. Et cap. 7. v. 11. *לָקְחוּ מִן הַחֵרֶם*, id est, *sumserunt de cherem & etiam נָתַבּוּ*, id est, *furati sunt, etiam absconderunt, etiam posuerunt, &c.*

Genuina & generali injuriæ verbalis descriptione ita stabilitâ accedimus ad divisiones, in species, modos, gradus. §. 4.

I. Prima divisio, aut potius distinctio injuriæ verbalis, obtractationis, calumniæ in pure *materialem, formalem, virtuales*.

Materialis æquivocè dicitur obtractatio, aut detractio, aut calumnia: cum quis nec animo injuriandi, nec verbis injuriis proximum aggressus est; quamvis ipse aut alii audientes malo & suspicaci animo dicta aut scripta aliqua obtorto collo huc trahant, ut occasionem per mendacia, convitia, obtractationes, calumnias, retaliandi quærant; aut alios, quos læsos fingunt, iniquâ suâ delatione ad talionem concitent. Qui manifeste crimen illud committunt, quod aliis injustè imponunt. Cum hoc conferri potest distinctio mendacii in materiale & formale; & analogicè distinctio vulgaris scandalii in datum & acceptum. De quo alibi.

Formalis est cum quis animo injuriandi, injuriosis verbis aut scriptis alterum lædit.

Virtualis (quæ etiam *indirecta* dicitur) est, 1. *cum* quis negat suum aliquod malum, verè alteri objectum: Quo ipse alterum tacitè calumniæ aut mendacii accusat, & famam ejus lædit. 2. *Cum* de individuo vago loquitur: interim speciale factum proximi ita *καταλέγουσιν*, & ἢ *ἀείνῃ* proximum ita *ἀποφασίζῃ*, ut calumniose famam ejus lædat, quantum in se est: quidquid dissimulet. 3. *Cum* verbis aut scriptis contendens cum proximo, aliqua crimina & flagitia eidem in faciem, aut apud alios enarrando de seipso negat, quæ tamen nemo ei imponit; dicendo, ego talis non sum, nemo me arguere poterit illius criminis: ut ita tacitè audientibus suspicio ac sinistra opinio injiciatur, de illo, cum quo contendit, ac si ille tali aliquo crimine teneretur. 4. *cum* audiens diffamationem aut calumniam de proximo, quem talem esse novit, aut nosse poterat, si modo vellet, ejus *famam & existimationem, quantum potest, non defendit atque au-*

get,

get. Sunt verba catechesios nostræ. 5. Cum mala de proximo ex alio audita, sæpius sine necessitate referendo, sinistros de illo rumores spargit & auget, & quidem cum hâc cautelâ ; Quod ipsi non fiat verisimile, vel quod non credat, sed tantum referat ea, quæ ex τῆς Δείας audit, penes quem sit fides. 6. Cum quis nullam intentionem habet alterius famam lædendi : sed nihilominus quia imprudenter, inconsideratè, negligenter mali quid de illo refert, ab injuriâ verbali immunis non est. 7. Cum quis audito & facile recepto, forte & firmiter impresso rumore sinistro ; non studet, immo pertinaciter repudiat, audire aut ipsum diffamatum, aut alium quemcunque, aliter & meliora de eodem referentem : directè contra non tantum Christianæ religionis, sed & honestatis naturalis axioma : *audi alteram partem*. 8. Cum quis, occasione oblata, non laudat proximum, aut nimis remissè laudat, aut cum molestiâ veras ejus laudes, ab alio prædicari audit. Quam molestiam, ex subito & pertinaci silentio, ex vultus & oculorum demissione, (Gen. 4. v. 6. וַיִּפְּלוּ פָנָיו) ex sputatione, aliisque quæsitis gestibus & περιεργίαις, imprimis ex conatu sermonem illum encomiasticum abrumpendi, & encomiasten alio abducendi, deprehendes. Oriuntur indirecte detractionis species, ex merâ invidiâ plerumque : aliquando etiam ex intentato proximi contemptu, depressione, oppressione ; aut ex superbiâ, & inordinato propriæ laudis studio, cui obesse putat laudes proximi.

II. Divisio est in species : & sic obtractatio, seu diffamatio alia est aperta seu crassa, alia palliata & subtilis. Illa est dehonoriatio aut diffamatio proximi per aperta mendacia. Ista per verborum aut factorum proximi in deterius περιεργίαις, id est, fictionem, seu detorsionem. Cavillationem εἰρωνείαν describit Theophrastus in characteribus : quæ etiam sycophantia dicitur & calumnia strictè sumta. Sic nostra Catech. q. 112. ubi Sylburgius τὸ calumniari exponit per συκοφαντεῖν : quæ vox occurrit Luc. 3. v. 14. & 10. v. 8. de quâ vide Sculteti exercit. euangel. lib. 1. cap. 19. Et Lud. de Dieu & Grotii notas ad Luc. 3. Heinssii exercit. ad Lucæ cap. 17.

Quot autem modis, alicujus verbis calumnia struatur, dici vix potest. Ad generalia illa quatuor capita revocari posse videntur, si non omnia, saltem pleraque 1. additionem. 2. subtractionem. 3. permutationem alieni sensus. 4. scopi & intentionis fictionem.

III. Divisio est ex objecto reali. Sic diffamatio alia est, quæ mala de aliquo sed falsò simul & malè prædicat : Alia quæ vera mala verè de aliquo prædicat, sed malè, non bene. Quarum prior proculdubio longè pejor est, & infandi sceleris ac flagitii nomine stigmatizanda ; si fiat in perniciem proximi. Posterior culpâ non vacat : quia omne verum semper & ubique dici non debet, nec occultanda detegi : juxta illud 1 Petr. 4. v. 8. *Charitas teget multitudinem peccatorum*.

IV. Divisio ex objecto personali. Sic alia est, quâ obtractans aut detractor propriam famam; alia, quâ alterius famam lædit. Hic alter est vel mortuus, vel vivus: vel peregrinus, vel concivis aut popularis: vel alienus, vel consanguinitate aut affinitate conjunctus: vel fidelis vel infidelis: vel probus, vel improbus: vel insuper infamis sive factio sive jure; vel neuter aut medius, aut dubiæ existimationis: vel inimicus, vel amicus, aut saltem necessarius, aut fautor: vel æqualis vel inferior, vel superior. Ubi ex tali aut tali objecto, in quod peccatur, peccati gravitas & gradus, uti etiam ex aliis circumstantiis æstimari debet. Saltem peculiarem malitiæ gradum habet, si quis ex unâ parte pauperibus, viduis, pupillis, aliisque imbellibus & miserabilibus; & ex altera parte parentibus, præceptoribus, Magistratibus, Pastoribus & Patribus spiritualibus, aliisque superioribus maledicat. Jurisconsulti, cum *L. 3. C. de criminibus*, pronuntiant, *sacrilegii instar esse, disputare de principali judicio, & dubitare an is sit dignus, quem elegerit Imperator*. Hoc illi in illo casu speciali: sed theologi majori jure universaliter & convenienter scripturis sacris cum *Salviano lib. 7. de gubern. Dei pag. 305.* edit. *Rittershusii*, pronuntiant: *sacrilegii quippe genus est Dei odisse cultores. Sicut enim si servos nostros quisquam cadat, nos in servorum nostrorum cadit injuriâ: & si à quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filii pietas paterna torquetur: ita & cum servus Dei à quocunque læditur, majestas divina violatur, dicente id ipsum ad Apostolos suos domino (Math. 10.) Qui vos recipit me recipit, & qui vos spernit. Confer & Psal. 105. v. 14. 15. & 2 Cor. 5. v. 20. ubi titulus legatorum verbi divini ministris tribuitur, nullis aliis in quacunque dignitate constitutis ordinariò impartiendus.*

V. Divisio ex objecto, coram quo obtractatio fit. Sic alia est, quæ fit coram illo solo præsentem, qui petitur: quæ secundum *Thomam* cum testatoribus peculiariter dicitur, *ignominia, contumelia* (Gr. *ἰβησι*) *convitium, exprobratio, irrisio* aut *derisio*. Alia, quæ fit in absentia ejus qui petitur, coram uno, aut pluribus, sive multis sive paucis, sive omnibus promiscuè, cum scil. non tantum dicitur, sed scriptis publicatur.

VI. Divisio est ex objecto circumstantiali, ex materia scil. negotiorum & causarum, circa quorum tractationem convitii, infamationis, obtractationis, calumniæ crimen committitur. Et sic alia per extrinsecam denominationem est ecclesiastica; alia secularis, seu politica. Et hæc rursus vel publica, vel privata. Publica est, quæ committitur circa publici regiminis negotia; aut circa causas in foro contentioso. Negotia ecclesiastica Deo propiora sunt, & homines eadem gesturi peculiari quadam ratione ad Deum appropinquant. Rursus in judicio aut circa judicium commissa deterior illa, quæ in regimine aut circa regimen committitur? quod Deus

peculiari quadam ratione fit in iudicio 2 Paral. 19. v. 7. - 11. In genere autem omnis publica privatâ deterior est; quod in plures, immo ad totam communitatem ecclesiasticam aut sæcularem damnum earum redundet.

VII. Divisio est ex fine proximo sive operis sive operantis. Sic *alia* facit & tendit ad *derisionem*, & propriè dicitur *irrisio*, *subsannatio*, *sarcasmus*: *alia* ad *contemptum* & vilitatem (ita loquar) proximi; & propriè dicitur *ἔξωθισμός* & *ἐξωθισμός*: *alia* ad amicitiam disturbandam, & litem inter fratres serendam; quæ *Thomæ* cum suis propriè dicitur susurratio, cuius conjugatum reperitur Rom. 1. v. 30. *alia* ad odium, vexationem, capitis diminutionem, ab omni promotione & dignitate rejectionem, immo ad poenas infamiæ, exilii, fustigationis, perpetuæ incarcerationis, extremi supplicii eidem creandas. Postremæ illæ, non tantum ex invidiâ, aut inordinatâ sui elatione (ne scil. per alterius insigniores virtutes & actus virtutum luminibus, an luculæ nostræ obstruatur), sed & accedente vindictæ cupiditate, atque animo plane exulcerato proficiscuntur. Vide exemplum Hamanis in lib. *Esther*.

VIII. Divisio est ex modo elocutionis, seu promulgationis. *Alia* est, quæ vivâ voce sive tuâ sive alterius à te subornati: *alia* quæ scriptâ epistolâ aut sparsâ ac circumlatâ schedulâ, aut libello typis edito existimationem proximi depeculatur. Manuscripta illa, & *libelli* typis editi, vulgò dicti *famosi*, appellantur comœdiæ veteres, silli, satyræ, pasquilli; qui hodie strictissimè dicti libelli famosi; quibus accensendæ picturæ famosæ. De comœdiâ, sillo, satyrâ, consulendi scriptores rei poëticæ *Jul. Cæsar Scaliger* & *Gerh. Joh. Vossius*. Nomen *pasquilli* Romæ originem & usum suum debet: ubi statuae militis aut gladiatoris alicujus, brachiis & facie mutili, dicti *Pasquini* etiamnum supersticij, libelli ejusmodi & chartæ mordentes sed antiphonæ aut respondentes chartis famosis statuae vicinæ dictæ *Morphorii* de nocte affigi solent, quæ mane legantur. Hec referunt, præter Romipetas nostrates, *delicia Italica* à *Casparo*. Et latinè editæ Colonia anno 1609. pag. 4. *Marlianus in descriptione urbis Romæ* de eadem *Pasquini* statuâ notabilem habet historiam, quam ex illo descriptam refert *Keckermannii Politica* lib. 1. cap. 22.

Quæstiones, quibus materiam hanc plenius explicamus, sequentes hujus disputationis partes exhibebunt.

DE CALUMNIA, OBRECTATIONE ET CONVITIO.

P A R S S E C U N D A.

Resp. JOHANNE à RAESVELT Gendringâ-Gelr. 19. Martii 1662.



Ubjiciamus nunc quæstiones ad pleniorē hujus rei explicationem. Quia autem in obrectatione tres personæ considerandæ sunt, quæ audit, quæ legit, quæ patitur: ad singularum instructionem quæstiones in tres classes distribuemus. Quæritur ergo de Caluminatore, detractore, &c.

I. *Quæst. An malum aliquod de homine dicere, sit absolute, toto genere, & intrinsece malum: ita ut nullo in casu honestari possit; & an sic intelligendus textus. Jac. 4. v. 11. μή καταιδέτε*, Resp. Neg. Quod enim ad textum illum eodem fere modo ex analogiâ fidei & scripturæ exponendus est quo *Math. 5. 4. 39. & 7. v. 1.* Jacobus enim ipse in epistolâ suâ, multa mala de hominibus dixerat cap. 1. v. 8. 26. & 2. v. 6. & 4. 1. - 5. & 5. v. 1. - 8.

Quod ad rem ipsam duabus istis conclusionibus sic determinamus.

I. *Concl.* Non tantum non est vitium, sed insignis virtus, aliquando necessitate aut occasione ita ferente de hominibus mala tristitia seu mala pœnæ tum coram ipsis tum coram aliis prædicare: modo id fiat animo, modo, & sine bono. e. gr. morbos, paupertatem, membrorum, sensuum, & virium defectus, ἀρρώστιαν δυνάμειος, memoriæ debilitatem. Et hoc subinde necessarium est, respectu ipsorum & aliorum, ut scil., aut ipsi se noscant & discendo τὸ *nosce te ipsum* ad humilitatem diffidentiamque sui formentur, & debita auxilia atque fulcimenta aliunde quærant atque expectent. *Istorum*, ut alii quos cura illa tangere debet aut potest, aut quorum interest, eisdem noscant, iisdemque vel præsidia & auxilia sua præstent, defectus suppleendo; vel eos arceant à muneribus operis, in ecclesiâ, in schola, in republicâ, domi foris, in pace in bello, ad quæ plane inepti sunt; ipsi tamen se imprudenter obtrudunt, aut ab aliis nimis indulgenter sive gratis sive mediantibus illis protruduntur. Ita paupertatem viduæ *Luc. 19.* refert servator, & Paulus 2 *Cor. 8. v. 2.* ecclesiæ Macedonicæ, ut ostendant earum liberalitatem: & energemata, cœcitatē, morbos afflictorum Christo & Apostolis per alios, incicatos fuisse legimus, ut sublevari possent. Sic 1 *Pet. 3. v. 7.* mulier dicitur ἀσβεστόν ὄντιον. Adde exemplum Michæ

1 Reg. 22. & onerosas prophetias, *Jesaja capp. 13. - 34. & Jerem. cap. 2. v. 10.*

2. *Concl.* Mala turpia seu peccata hominum, in quibusdam casibus, tum coram ipsis, tum etiam coram aliis, immo & coram omnibus promiscuè, sive dictis sive scriptis prædicare non vitii est sed virtutis: modo id fiat animo, modo, & fini bono.

Hæc communis sententia patrum, scholasticorum, Casuistarum, notrorum, probatur. 1. *Ex exemplo & mandato Dei qui Genes. 3. coll. cum Psalm. 50. & 90. prævit: & legatis suis Prophetis, Apostolis, ordinariis ministris hoc mandavit.* Inter quamplurimos textus vide modo *Jes. 58. v. 1. Ezech. 2. & 3. & 13. 2 Timoth. 3. v. 16. & 4. v. 2. 3. 11. Ex Officio correptionis fraternæ, quod omnibus fidelibus incumbit.* De quo peculiari diatribâ antehac egimus, quam postea *Exercitiis pietatis cap. 24. inferuimus. 111. Ex officio denuntiationis ecclesiasticæ, quod positis ponendis cuilibet incumbit. Math. 18. v. 15. & 1 Corinth. 1. v. 11. 14. Ex officio præmonitionis, contra scandala, & contra seductiones ad falsam doctrinam, aut pravos mores, per exempla, dicta, scripta, & contra conversationem ^{τῶν ἀνθρώπων} sive manifestorum sive simulatorum; quos necesse est in lucem protrahi, iisdemque larvam ^{μυσφισιν ἐντεβέτας} (2 Timoth. 3.) detrahi. Vide 2 Timoth. 2. & 3. v. 1. - 10. 2. *Thessal. 3. v. 14. Philipp. 3. Tit. 1. Epist. 3. Johann. Apocal. 2. & 3.* Hoc cuilibet incumbere, imprimis parentibus, tutoribus, pastoribus, senioribus, præceptoribus, apud omnes constare arbitror. v. *Ex officio accusationis, quod omnibus aliquo in casu incumbere, probant scholastici ad 22. qu. 68. art. 1.* Imprimis iis incumbit, qui in ordinatis hominum societatibus convenienter juri divino & naturali constituti sunt ad crimina hominum, quæ pacem, bonumve publicum turbant, observanda, detegenda, denuntianda, & accusationem contra eos directè, ex professo, & in formâ instituendam: quales sunt qui prætorum, advocatorum fisci, procuratorum reipublicæ seu generalium, &c. dignitate & titulo honorario inter & supra alios eminent. Argumento hoc ab iis, qui ex officio tenentur accusare, sumto ferè solo utuntur cum *Thomâ 22 qu. 68. art. 1. scholastici & Casuistæ. v. 1. Ex iustis & necessariis apologiis, spongiis, declarationibus, tum publicis ecclesiarum, politiarum, regum, principum, scholarum, collegiorum, tum privatis quorumvis: sive in causâ religionis, sive in quavis aliâ iustâ causâ, quæ morum & famæ honestatem concernit.* De quibus non ita pridem nobis actum in *dispp. de confessionibus & apologiis 3. part. polit ecclesiast. inferendis.* Hic tantum repeto, vix posse peragi ejusmodi apologias contra atroces & impotentes conviatores, calumniatores, mendaciorum hamaxarios, sine vicissariâ accusatione,*

tione, aut sine iustâ retorsione aliquâ eorundem criminum in accusatores, quibus innocentia injustè petitur; idque hâc cum intentione, ut effusio calumniarum sisti, ipsique secum habitare discant: sin minus, saltem redantur intestabiles, iisque fidem nunc apud rerum ignaros aut malevolos invenientibus, fides detrahatur. Vide editas apologias *Justini*, *Tertulliani*, *Illustri* & *Celsi*. herois *Wilhelmi I. Arausoniensis*, *Sereniss. & potentiss. Britanniarum regis Jacobi*, *Hermanni Archiepisc. & Electoris Coloniensis*, *Serenissimi Regis Bohemiæ*, & *Electoris Palatini Friderici V. sereniss. regis Navarreni Henrici & illustriss. Principis Condei Gallico titulo protestationis contra excommunicationem Sixti V. latino*, *Brutum fulmen*, &c. adhæc quam plurima alia Principum, Politiarum, viro- rum literatorum, theologorum scripta apologetica, vel ab ipsis vel ab aliis publica, ut *Lutheri*, *Melanthonis*, *Calvini*, *Beze*, *Bullingeri*, *Juelli*, *Plesssei*, *Marnixii*, *Fr. Junii*, *Prideaux*, *Cracanthorp*, *Mortoni*, *Roberti Aboti*, *Riveti*, &c. Quando autem illa, quæ iustè debito modo, servato moderamine inculpatæ tutelæ, ad necessariam defensionem & præmonitionem calumniatoribus reponuntur, ex jure divino & naturali defendi possint, non obstante consequente contemptu, aut irrisione, aut infamiâ proximi, etiam accepto scandalo eorum qui intra aut extra ecclesiam sunt ex seqq. quaestio- nibus patebit.

II. *Quaest. An calumnia & detractio sit, si quis mortuis malè dicat? Resp.* mortui sunt vel boni & nunc *manifesti*, vel mali. Mala, quæ de iis referuntur sunt vel vera, vel falsa: & illa rursum vel manifesta, vel occulta.

Sit ergo.

I. *Concl.* Mala falsa nunquam in præjudicium honestè viventium fame dicenda sunt: sic imprimis non dicenda de mortuis quibuscunque, sive bonè, sive malè, sive dubiæ famæ. Hoc enim atrocitatem malitiæ & injuriæ insigniter auget, quod mortui antidoto purgationis aut apologiæ non ita uti queant; præsertim cum de propriis factis respondendum est. Cum enim quis exemplo *Bolsעי*, *Laingei*, *Surii*, *Cochlei*, *Balduini Ecebolii*, *Jacobi Carpentarii*, *Florimundi Ræmundi*, & similibus post obitum fideles Dei servos scriptis suis infamantium, mentitur aliquem in vitâ suâ talia blasphemata, heretica, improba, calumniosa, vana, stolidia locutum esse, talia malefana aut desperata consilia sibi suggessisse, talia se præsentè & conscio verbis, aut factis perpetrasse; utique hostes & malevoli, qui calumniolas ejusmodi relationes plerumque captare solent, ab aliis ita confundi nequeunt, ac ab ipsis illis, qui calumniam patiuntur, siquidem vi- verent. Illi enim publico scripto negare & mendaciorum hamaxarium ad probationem provocare, aut juramento se purgare, aut per *L. diffamari*

718 DE CALUMNIA, OBTRACTATIONE, &c.

C. de ingenuis & manu-missis Crētizantem dejicere, saltem cursum mendaciorum de facto sistere possent.

2. *Concl.* Improborum notoria non tantum & manifesta, sed & vulgò occulta mala sive facta, sive dicta, sive consilia, cum eventu eorum & consequentibus Dei judiciis, non tantum licet, sed & aliquando utile est post obitum eorum referri, immo & perpetuis historiarum tabulis, in luce poni atque actis publicis consignari: idque ut exempli & phari instar aliis inserviant; atque una bonorum famę & innocentię, quin & ipsi causę Dei consulatur, quibus per flagitiosorum dictorum & factorum crypses atque incrustationes, haut parum præjudicatur. Cum dico improbos & manifestos peccatores, non excludo illos, qui sub finem vitę vel conversi sunt; vel saltem per gratiam aliquam coërcentem seu refręnantem, cursum flagitiorum suorum stiterunt. Ex priorum numero sunt rex Manasses, & latro in cruce: ex posteriorum Nebucadnezar, & Achab. De uxore Lothi, de Achane, de fratribus Josephi, de Simeon & Levi; in meliorem partem sentimus: quorum peccatum erat transiens & unum.

Probl. 1. Argum. ab usu exemplorum: quę jure divino probata & mandata. Vide 1 Corinth. 10. v. 6. *Hęc autem typi nostri fuerunt, ut ne concupiscamus res malas*, &c. Luc. 17. v. 32. *Mementote uxoris Loth.* Confer relationes sacras de Caino 1 Joh. 3. de Chamo Genes. 9. De Ilmaele, de Esauo, de uxore Potipharis, de Pharaone & Ægyptiis, de Corah, Dathan. Abiram, de adherentibus Baali Pehor, de Zimri, de Achane Jos. 22. &c. Et de Anania & Saphyra, de Juda Iscariote, de Caipha, Pilato, Herode, Simone & Elyma magis, de Alexandro Fabro, Hymeneo & Phileto, Diotrephe, &c. Vide historiam sacram: præsertim Psalms historicos 78. 105. 106. & concionem Stephani Act. 7.

2. *Argum.* Quia variis in casibus, non potest fama proborum injuste post mortem traductorum, à posteris, præsertim iis ad quos hoc proximè spectat, rectè vindicari, nisi mala consilia, & injuste facta aliorum in lucem protrahantur. Quandoquidem aliter fieri nequit, patiatur honor & fama nocentium, modo vincat & triumphet innocentia; pereat Barrabas, dimittatur Christus. Inspiciantur patrum, primorum reformatorum, & hodiernarum ecclesiarum, politiarum, scholarum scripta apologetica, & elenctica.

3. *Argum.* Quia alioquin nulla historia ritè scribi atque esse deberet: quin contra omnes scriptiones tam veteres quam novę, quę nunc in rerum naturā, tum ecclesiast. tum politicę condemnandę atque abolendę essent, tanquam libelli famosi. Quod absurdum. Consulantur scriptores de historiā, Bodinus, Beurerus, Keckermannus, Vossius, tract. peculiaribus, Canus lib. 11.

de loc. theolog. *Possesivus biblioth. selecta lib. 15.* Cum autem historia (teste Cicerone lib. 1. de Oratore) sit vita magistra & lux veritatis, & prima ac necessaria boni historici, juxta Polybium, conditio sit, ne quid falsi dicat, & ne quid veri reticeat, utique sic scribenda est, Ne virtutes fiantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate & infamia metus sit: Sunt verba Taciti. Et hic prævit historia sacra, quæ Jeroboam jam mortuum toties hoc titulo insignit, quod *Israel fecisset peccare*, & peccatum idololatriæ vocat peccatum Jeroboami.

Relatio ergo malorum ab historiis removenda non est: quæ majorem earum partem faciunt; cum plura hominum malè facta quam bene facta in communi mortalium vitâ numerari possint. Rari quippe boni, &c. vix totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili. Mundus enim in malo positus 1. *Joh. 5.* immo & pusillus Christi grex à lupis, ab intestinis & latentibus malis, non est immunis. Hoc docent historiæ, annales, theatra exemplorum, theatra judiciorum Dei, specula tragica, vitæ tum improborum tum proborum; quæ posteriores describi non possunt, quin hostium, adversariorum, certaminum, triumphorum de heterodoxiis, injuriis, calumniis aliqua fiat mentio. Illa autem absque obice objecto, tutò magis & sincerè, referri & propalari possunt post obitum majorum, præsertim Nimrodorum, Pharaonum, Hamanum, Jeroboamorum, Neronum, Domitianorum, Antiochorum, Herodum, Doëgorum, qui potentes sunt *Psal. 52.* uti hoc ingenuè fatetur *Stella de vitis Pontificum* in alloquio finali, ad patriacham Venetum: Demum R. D. tuæ innotescat me de industriâ, plura prætermisisse, pericula undique præcaventem, &c. potissimum cum, præsentia discrimina scriptores elanguescere plerumque faciant, &c. Posteris autem cætera sunt relinquenda, qui apertius sine metu & notâ, suas historias poterunt scribere. Vide de metu historiæ & infamiæ apud viventes ac posteros, quo principes à rebus malè generendis retineri debeant, *Kerckermanum lib. 1. politica cap. 2.* circa medium pag. 60. 61. in 8. ubi indicat *Castel. qui lib. 1. de off. reg.* pluribus exemplis hoc illustravit.

3. *Concl.* De dubiæ famæ hominibus, mala occulta post obitum non detegenda: nisi innocentiae & justitiæ causa sive publica sive privata viri præstantis & in publico munere constituti hoc necessariò postulare videatur.

4. *Concl.* Mala quæ incerto rumore aut inimicorum, malevolorum, vaniloquorum, aut mendacium spermologorum & parasitorum susurris, aut libellis famosis (quorum autores omni jure infames & intestabiles sunt), de viris malis, de dubiis, de honestis & quidem ejusdem fidei confortibus, immo & præconibus, nunc defunctis, etiam de viventibus ad nos deferuntur, sermone nostro, nedum publicis scriptis referenda, spargenda,

da, æternitati consecranda non sunt. Hoc vitio laborant multi scriptores eristici, & plerique historici Papales; ut *Cochleus*, *Surius*, *Baronius*, qui uni parti contra adversarios perpetuò student. In speciem subtilius hoc egere *Strada*, & *Nicol. Burgundus*; qui tamen in eo toti sunt, ut de Principis A-rausoniensis ejusque fautorum, Ordinum Belgii, Nobilium Belgarum, qui præeunte Henrico Brederodio libellum supplicem anno 1568. tradebant, animo atque intentione judicent, inque ipsos omnem malorum culpam transferant, & Regis Philippi, Hispanorum, Belgarum Hispanizatorum, consilia & facta extra culpam ponant; *Strada* insuper familiam Farnesium in duce Parmensi ad supremum famæ cœlum evehat. Longè aliter quamvis nostram religionem nunquam professi *Petrus Matheus*, & *Thuanus*: quorum posterior ideo non tantum libellum polemicum in historiam suam tit. *notationum*, &c. Ingolstadii 1614. in 4. sed & censuram sedis Apostolicæ anno 1610. passus est, & plura passurus fuisset, nisi Cardin. *Perronus* apud Papam intercessisset. De quo vide inter epistolas *Perroni* gall. editas, *epist. ad Thuanum*.

5. *Concl.* De viris bonis jam defunctis malum aliquod occultum, aut paucis notum non nisi summa necessitate adigente, referendum est. *Justus*, enim, *erit in memoriâ sempiternâ*, Psal. 112. v. 6. Hoc facit vulgatum illud dictærum:

De mortuis nil nisi bonum.

Et,

Livor post fata quiescit.

Et adagia, *cum larvis luctari*: *jugulare mortuos*: *mordere mortuos*: *cum umbris depugnare*: Quorum explicationem vide in *Erasmi opere adagiorum*. Si violare sepulcra, contumeliose cadavera tractare honestati & humanitati repugnat, & legibus coercendum judicatur (uti inter alios differit *Philip. Camerarius* *centur. 1. oper. subcis. cap. 3.*): utique viros honestos post mortem diffamare longè iniquissimum est; cum famæ violatio cadaveris, loculi, sepulcri violatione, deterior sit. Non tamen simpliciter & absolute illicitum est, de mortuo mali quid sive notorii, sive etiam vulgò ignoti referre: ut nullo in casu illud honestè fieri possit. Sic ex. gr. ut *Chrysostomi* fama vindicetur, quædam de eximiis ecclesiæ Doctoribus *Severiano*, *Theophilo*, *Epiphania*, referri necesse est, quæ ex ipsorum honore non sunt. Vide ejus vitam ex *hisor. tripartitâ*, *Palladio*, &c. ab *Erasmo* descriptam. Et *Baronium* in *annal.* *Beza Erasmi* vertigines contra sacram disciplinam maluisset tegere, nisi importunitas eorum, qui *Erasiana* post obitum ejus edebant, illum ad causæ Dei & sui ipsius defensionem coëgissent. Vide quæso ejus præfationem ad lib. 6. *Erasmi* de excommunicatione. Quam plurima theologorum

rum scripta apologetica pro se, & pro *Luthero*, *Zwinglio*, *Calvino*, *Bucero*, *Beza*, *Melanthone*, &c. edita; ubi cum adversarii mortuorum dicta, epistolas, judicia, testimonia ad partes vocant, quibus innocentia gravetur: non possunt iustâ absterfione aut apologiâ defungi, rei gravitate & necessitate ita postulante, quin quædam aperiant, quibus defuncti, cætera boni, tangantur.

Rationes sint istæ.

Prima, quia scriptura sanctissimorum quorumvis Noachi, Abrahami, Lothi, Moïsi, Davidis, Aisæ, Hiskia, Josiæ, quin ipsius *Marthe* virginis aut nævos aut graviore lapsus, post obitum eorum commemorandos notavit. Paulus *Gal. 2.* defectum Petri, & Demæ *2 Tim. 4. v. 10.* aliorumque sociorum ecclesiis detexit; & quidem ita ut post obitum illorum ecclesiæ perpetuo recordari possint, non minus ac eorum, quæ à Petro præclare gesta ipse ecclesiis recordari voluit, *2 Petr. 1. v. 15.*

Secunda, quia ut boni etiam post mortem loquuntur *Hebr. 11. v. 4.* per bene dicta, scripta, gesta dum in hoc tabernaculo commorarentur: sic non tantum mali per mala opera, dicta, scripta; sed & boni in præjudicium causæ Dei, aut iustæ fratrum suorum causæ aliquid in vitâ dixerunt, aliique eos post mortem toties totiesque loquentes introducunt; ut ad communem ædificationem, seductionis præventionem, adversariorumque dictis, scriptis, factis, consiliis illis abundantium confusionem, necesse sit aliqua detegere, quæ caritas maluisset tegere.

Tertia, quia famæ imminutio non intenditur; nec fit animo diffamandi. Jam vero bonum per se & debitum officium, omitti non debet, ob aliquod incommodum tertii, quod ad illud sequi posset. Quod si sequitur, hoc fit per accidens. Bonum publicum & honor causæ Dei atque ecclesiæ, præferenda honori unius hominis, aut collegii. Huc applica illud vulgatum: *Potior est unitas quam unus.* Et analogicè illud Hieronymi: *Major est autoritas orbis, quam urbis.*

Quarta, quia si utrumque & mordentem, & morsum & lædentem & læsum, & privatam & publicam causam sive tacendo, sive loquendo juvare nequeo: juvandus erit læsus; cujus potius est jus, quam ejus qui iniquè illum læsit. Si sine diminutione honoris causa hæc peragi nequit, patiatur eam nocens, non innocens; unus, non unitas; causa hominis, non Dei apud homines. Si bonis obloquuntur, boni etiam post mortem respondent iis, qui viventes sive ab aliis sive à proprii affectus sui paroxysmo ad id inducti & seducti; & si alii imprudentes, forte malevoli κατηχησάμενος alicujus relatione, aut epistolarum, scriptorumve posthumorum (potius suppressorum)

dorum) editione malam famam concitent : utique illicitum non erit injustè læsis etiam post mortem, ore aut calamo patronorum suorum pro se loqui; quamvis non sine imminutione famæ obloquentium. Vide exemplum in vindiciis præstantiss. theolog. *Fr. Junii* contra *Thuari* & *Scaligeri*, cætera summorum virorum, ante annos aliquot defunctorum detractioes, apud Clariss. *Gerh. Job. Vossium*, *Junii* generum in præfat. ad lib. de historicis Latinis : quam velim à multis legi. Eruditiss. & piissimus theologus *Andr. Rivetus* in *Dialysi discursu* Grotiana anno 1646. in præfat. rationem reddit cur ad librum post mortem *Grotii*, typographo quem tamen vivens commiserat, respondere coactus sit. Legat quæso, quem hoc tangit, sapientissimam *Riveti* præfationem ; Et acutum ibidem insertum epigrammatè, *justissimum est, ut qui velit Mordere moriens, mordeatur mortuus*. Non est parcendum aculeatis scriptis, quibus sacra & profana, publica & privata, ipsi patriæ procures, illustres heroes Marte & arte celeberrimi, eorundemque tabulæ testamentariæ (e. gr. Ill. *Plessei*) crudelissimè mordentur. Imprimis, bono publico ita postulante, illis scriptis non parcendum, quæ ipsi auctores ad instar Cardinalis *Perroni* (de quo *Molinaus* in præf. ad novitatem *Papismi*) demum post obitum suum edi voluerunt.

Scilicet impunè voluit nocuisse, nec umbra

Credidit ultricem posse nocere manum:

Uti canit nobiliss. & literatissima virgo, in epigrammate *Riveti* *Dialysi* præfixo.

III. *Quæst. An mala de proximo predicare liceat ad ejusdem pudorem aut contemptum, aut irrisum; aut ad quancumque honoris famæ, existimationis, dignitatis, auctoritatis imminutionem?* Resp. Imminutio, & læsio, aut ablatio famæ, vel sequitur ad dicta & scripta alicujus : vel à dicente & scriptore intenditur.

Sit Ergo.

1. *Concl.* In casu, quo mala sed vera de proximo prædicari, aut occulta detegi necesse est, quamvis proximo incommoda inde oriri possent; ea quia per accidens evenirent, non debent quenquam abstertere ab officio per se honesto & debito. Quinam autem sint casus necessitatis, quibus mala occulta detegenda, supra ad quæst. 1. indicemus.

2. *Concl.* Idem judicandum est de vivis descriptionibus & characteribus vitiorum indefinitè sive voce, scripto propositis : ubi tamen personis parcitur. Illæ enim per se necessariae aut utiles sunt : non obstante, quod aliqui, applicante propriæ conscientiae judicio, se illis induant, aut induere possint, aut etiam tum benevoli tum malevoli sive rectè sive perperam aliquem, cui convenire putant, caractere illo notatum aut stigmatizatum velint

velint Virtutes per se & necessario laudandæ, vitia vituperanda sunt: idque adhibitis quibuscunque sapientiæ superne & rhetoricæ divinæ artificiis. Quæcunque inde sinistra suspitionum, perturbationum, contentionum, contemptus incommoda sequi contingeret; ea haberent se planè per accidens: propter quæ per se bona & necessaria omitti non debent; nedum ut quis ea putridis sermonibus, & infamibus chartis, etiam factis violentis infectetur, & siti addens ebrietatem pro viribus persequatur, ulciscatur.

Probatur.

1. Ex exemplo prophetarum, & Apostolorum, qui Epicureismum & Atheismum *Psal.* 14. & 49. 1 *Corinth.* 5. hæresin, apostasiam 1 *Timoth.* 1. & 4. 2 *Thessal.* 2. 2 *Petr.* 2., ebrietatem, comestiones *Amos* 9. *Jesa.* 5. & 28. & 58. v. 11. 12. *Proverb.* 23. avaritiam *Jesa.* 1. 1 *Timoth.* 5. vanitatem & luxum in vestibus *Jesa.* 5. uluras mordaces, sacrilegia, scortationes, adulteria, dolos, obtractationes, calumnias, &c. aliaque vitia passim sic characterizant, ut multi tunc temporis, & deinceps, & etiam hodie se ipsos istis invenire, aut alii sive inimici eos tacite notare aut digito monstrare possent. Quod imprimis etiam applicari potest characteribus hypotheticis, seu descriptionibus Pharaonis, Datanis, Achanis, Adonibeselek, Saulis, Sisera, Rehabaami, Jerobaami, Achabi, Jorami, Beltzazaris, Rabsake, Sanballati, Hamanis, Judæ Iscariotæ, Simonis Magi, Pilati, Herodis, Cajaphæ, Tertulli, Diotrephis, &c.

2. Ex officio legendi, aut audiendi scripturas, in quibus vitiorum characteres non exiguam partem faciunt. An cum Pontificiis, multa consequentia incommoda, aut otiosorum & maledicorum hominum abusus, contra scripturæ lectionem hic allegabimus? An publicæ prælectionis officium ob talia præsumpta incommoda in ecclesiis abrogandum? quod prælectores sine ullâ mitigatione, sine verbis honoris, sine exceptione duras illas descriptiones de syllabâ ad syllabam religiosè prælegant.

3. Ex exemplis patrum, quorum conciones & tractatus, *Cypriani*, de zelo & livore, *Basilii* in *Psal.* 14. c. foeneratores, de avaritiâ, de irâ, de invidiâ, de ebrietate; *Nyssemi* de fornicatione, de his qui ægre ferunt reprehensiones; *Chrysostomi* c. concubinos, & qui passim in homiliis quævis vitia disertè perstringit; *Maximi*, de avaritiâ; *Nazianzeni* investivæ duæ in Julianum Apostatam. Ut Salviani libros de gubernatione & similia veterum scripta parænetica præteream; nec non recentiorum *Spinei*, *Tassini*, &c. & concion. *Lutheri*, *Calvini*, *Beza*, &c.

4. Ex exemplis omnium moralium scriptorum apud Gentiles, ut *Platonis*, *Aristotelis*, *Theophrasti*, *Plutarchi*, *Seneca*, *Maximi Tyrii*; quibus adde satyricos, & comicos *Lucilium*, *Horatium*, *Juvenalem*, *Persium*, *Petronium*,

Plautum, Juliani Cæsares, Luciani dialogos, qui tam avidè leguntur, quam vis vitia nativis coloribus depingant, subinde personis non parcentes. Quid dicam de navi stultiferâ, *Erasmi colloquiis*, encomio moriæ, anti-barbarorum, linguâ, querelâ pacis, detestatione belli? Quid de somniis Hispanicis (ita dictis) deque aliis innumeris recentiorum satyris, comœdiis, sillis, mordacibus epigrammatis, sive certorum autorum, sive anonymis, soluto aut ligato, latino aut vulgari sermone editis libellis; quibus vitia characterizantur, & qui nihilominus libenter leguntur? Libelli famosi, aut quicumque alii modum excedentes, imprimis mendaciis & calumniis, ne dicam blasphemis in Deum & res divinas, turgentes, nullo numero hic esse debent.

3. *Concl.* Etiam contemptum alicujus aliquando intendere licet, debitis circumstantiis observatis; immo & quandoque necesse est.

Probatur.

1. Ex exemplo Dei 1 *Sam.* 3. v. 28. *honorantes me, &c. contemnentes autem me contemnentur.*

2. Ex exemplo servatoris, qui deprecationem Phariseorum & scribarum correptionibus suis intendebat *Math.* 5. & 16. & 23. *Luc.* 18. quod aperte indicat. *Math.* 16. v. 6. *cavete vobis à fermento, &c.*

3. Ex mandato Dei & probatis exemplis sanctorum, qui justè & piè famæ immunitatem intenderunt, & atheorum, hæreticorum, improborum contemptum: ne simpliciores famâ & perversâ existimatione sapientiæ ac virtutis illorum moti, eos eorumque errores & prava exempla sequantur. *Rom.* 16. v. 17. 18. 1 *Corinth.* 5. *Philip.* 3. *Tit.* 3. v. 10. 1 *Timoth.* 1. v. 7. 20 Hoc probari necesse non est iis, qui epistolas Apostolorum, & Christi ad septem Ecclesias *Apocal.* 2. & 3. modo inspexerunt. Hoc exemplum imitati patres, qui fidei aut pietatis hostibus tum internis tum externis non pepercerunt: uti scripta eorum elenctica & apologetica, catalogi hereseon, historiæ ecclesiasticæ, homiliæ abundè testantur.

De contemptu specialiter probatur ex *Psal.* 15. v. 3. 4. cum 139. v. 19. 20. & *Galat.* 6. 14. De pudore & confusione, ex *Tit.* 1. v. 12. 13. & 2 *Thess.* 3. v. 14. 1 *Cor.* 6. v. 5. & 15. v. 34. De irrisione, mysterismo, hoc est, de acri & aculeatâ peccati detestatione, contemptu, exprobratione & peccatoris convictione, ex exemplo Dei *Genes.* 3. v. 22. *Judic.* 10. v. 14. *Psal.* 2. v. 4. mandato Dei & probatis exemplis sanctorum *Judic.* 5. v. 27. - 21. 1 *Reg.* 18. *vers.* 27. *Jesaja* 37. *vers.* 22. Accedant exempla antiquorum, qui passim aculeata ejusmodi inspargunt; præsertim adversus Gentiles, eorumque religionem, &c. vide *Tertulliani, Nazianzeni, Minutii, Arnobii, &c. Elenctica & Apologetica.* Exstat etiam libellus *Hermiæ tit. derisor*
philo-

philosophorum, Tiguri gr. lat. cum nonnullis aliis opusculis anno 1559. editus in fol. Recentiores aliqui eos imitati sunt, de quibus iudicium depromo in diatribâ antehac editâ de lachrymis & risu, postea *Exercitiis pietatis* insertâ. Conferri possunt scriptores rhetoricę, ubi de *Ironia*.

I V. *Quest. An calumnia dici debeat qualibet prava scriptura, patrum, recentiorum theologorum interpretatio?* *Resp.* calumnia est materialis vel formalis: prout & mendacium dicitur vel materialiter vel formaliter. *Illa est*, cum quis ex errore, ignorantia, ἀνεστία, genuinum sensum non assequitur. *Ista* cum calumniosas & sophisticas artes animo calumniandi circa dicta aut scripta sacra, patrum, theologorum quis adhibet. Rursum calumnia est vel directa vel indirecta. Sit ergo.

1. *Concl.* Siquis in simplicitate suâ absque ullâ pravâ intentione, ex ignorantia aut ἀνεστία, verbum Dei, dicta & scripta theologorum, malè accipit, interpretatur, & aliis proponit: ei error aut crassa ignorantia tribui debet, non tamen formalis calumnia.

2. *Concl.* Si quis ignorans, negligens, δοκνησάμενος, theologus extemporaneus & temerarius interpretationem, & inde accusationem contra theologos, quorum illic ager est, sibi cum Diotrephe assumat; utique à calumniâ saltem indirectâ excusari non potest: non magis quam quis medicus aut Jureconsulti titulo, ἡδὲς καὶ πρῶτος repente medicus aut Jureconsultus prodiens, & artem proficiens, si sanitatem egroti, aut causam clientis intervertat, ab indirecto homicidio aut causæ sive prodicione sive perditione in totum excusari non potest.

3. *Concl.* Si quis rerum aut causarum, quæ tractantur, ignarus, ab aliquo ministro sive ecclesiastico sive politico, cujus prudentiæ, autoritatî, aut fidei, aut eruditioni in simplicitate cordis sui nimium tribuit, per ejus dolosam χρηστολογίαν circumventus; sub nomine suo promulgari sinat ea, quę viros bonos, immo & communem ac receptam religionem orthodoxam, omnesque ecclesias reformatas, cujus ipse partem facit, traducat: an à directâ aut indirectâ calumniâ, contumelia, opprobrio, obtractatione excusari poterit? *Resp.* in totum Neg. in tantum aff. Hęc distinctio fundatur in verbis Christi Joh. 19. vers. 11. *Qui me tibi tradidit majus peccatum habet.*

Directa contumelię, calumnię, obtractationis, &c. exempla habes in edictis Regum, Imperatorum, Magistratuum contra Waldenses, protestantes, reformatos: inter quę nostris imprimis perpenda relinquo edicta Caroli V. & Philippi II. in Belgio contra reformatos promulgata.

Indirecta exemplum dabat formula venię seu abolitionis in Galliâ reformatis sub nomine & in literis à patentibus regis ad parlamenta & came-

ras edictorum datis, anno 1612. concessę : contra quam synodus nationalis Privacensis edito scripto protestata est eodem anno, subscriptentibus Chamiero præside, Molineo assessore, Marsengiard & Manialdo actuariis. Ubi inter alia in terminis sic loquuntur: *quod non debuerint insensibiles esse istius tam grandis opprobrii. Alterum* indirectę exprobrationis & contumelię exemplum dabat decretum pro pace ecclesiarum sub nomine Illust. & potentum Hollandię Ordinum cum adjectis autoritatibus scripturę, patrum, conciliorum, confessionum, &c. a. 1614. Editum, & excusum Leidę apud Joh. Patium, & Ultrajecti apud Salomonem Rhodium. Absurda, à sanã & communi reformatã doctrinã & pace ecclesiarum perquam aliena, quę isti decreto involvantur, solidę ostensum est scripto anonymo anno 1615. lat. & belg. edito, & autoritatibus munito; & altero scripto anonymo, sed brevi, tit. *responsi ad tres quæstiones*; quod postea D Triglandius tanquam suum apertę contra Joh. Uytenbogardum iustã Apologiã defendit a. 1616. De quo consulenda historia ecclesiastica ad postulatam synodorum Hollandic. à D. Triglandio conscripta. Illius decreti tantã farragine autoritatum muniti fabricatores (præcipui fuisse putantur Joh. Uytenbogardus, & Petrus Bertius), uti à directę calumnię crimine in multis absolvi non poterant; sic inprimis atrocissimę calumnię sicã reformatam religionem & ecclesiam, quantum in ipsis erat, vulnerabant, & hostium odio ac detestationi, domesticorum suspicionibus objiciebant, cum decreto illi cum farragine testimoniorum modo memoratã DD. Ordinibus obtrulo, dictum Platonis lib. 2. de Republ. instar purpurei panni latę splendentis præfigerent. *Omni contentione pugnandum est, ne quis in civitate, quam bene geri volumus, vel dicat vel audiat seu senex seu juvenis, seu in poemate, seu in aliã narratione, Deum causam esse alicui malorum, &c.* En caritatem & prudentiam scil. filiorum reformatę ecclesię.

4. *Concl.* Sophistica & quęsita detorsio verborum & sensus scripturę, non tam nomine calumnię (quę in perversã legis humanę interpretatione versatur), quam blasphemię, aut sacrilegii, aut similis indigitari posset.

5. *Concl.* formales calumnia est, cum quis theologorum orthodoxorum dicta in scholã & ecclesia, aut scripta saltem in benigniorem partem accipienda, odiosę & calumniosę traducit, ad ministerii ecclesiastici & ordinis theologici, etiam orthodoxę religionis & ecclesię contemptum; populi fidelis ab iis aversionem; & viam neutralitati, aut libertinismo, aut profanis erroribus & sectis muniendam; aut inveteratas corruptiones in doctrina & moribus defendendas. Calumniarum exemplis scatent elenctica scripta pro Papatu contra reformationem edita, qualia Staphyli, Eckii, Cochlai, Lindani, Turriani, Feuarentii, Herveti, Xaintesii, Bellarmini, Coñeri, Giffordi & Reginaldi, Gretseri, Becani. &c.

Re.

Remonstrantes eadem tinctura Mercuriali non segniter usos fuisse, cum titulo & communione reformatæ ecclesiæ adhuc gauderent, aut saltem gaudere vellent; patet ex scriptis *Grevinckhovii*, *Uyttenbogardi*, *Barlai*, &c., ut horrida *Episcopii*, *Tileni*, aliaque anonyma tum post separationem, tum ante eam quum plurima publicata, nunc præteream. Inter quæ publico societatis nomine scripta imprimis indicanda, *Nullitates synodi*, *scripta antisynodalia*, *apologia*, *Vedelius Rhapsodus*, *Responsum ad excerpta professorum Leidensium*. Qui tales delicias absque nausea avidè deglutiunt; non debent ita horrere ad reformati alicujus duriora aliquot (vera tamen) dicta justis orthodoxæ pietatis contra adversariorum tum reales tum personales calumnias defensionibus inserta. Sed omnem modum excesserunt autores *tabellarum*, quæ excerpta reformatorum theologorum vernaculo sermone exhibebant, nonnullæ alicubi affigebantur, cum provocatione omnium concionatorum, ad disputationem, quales *Henr. Slaetsii* Pastoris Bleiswicensis postea paricidæ & Hagæ-comitis in partes dissecti; & *Adriani Romani* Pastoris Goederensis, temerarii, imperiti, & ad talem conflictum invalidi tunc juvenis; qui a. 1618. in *Synodo Delfensi*, etiam suffragiis Remonstrantium, qui ibi tunc partem faciebant, ob imprudens & insolens illud ausum censurâ notatus est. Fuerunt & duæ alię tabellæ typis editæ & sparsæ, sine provocatione ad disputationem: quarum una in folio patenti Ultrajecti 1617. excusa: altera in 8. quæ exhibitis excerptis, reformatorum doctrinam comparabat cum Turcicâ & Manichaica. Hæc tabella in 8. judicio curiæ supremæ Ducatus Geldriæ Arnheimii combusta est; & is, qui exemplaria illinc attulerat, quæstus: sed frustra; quippe qui maturè se subduxerat. Autor ejus tabellæ habebatur affinis paricidæ *Slaetsii*, qui antehac Zirizeanę scholæ rectorem egerat. Præter istas tabellas, volitabant etiam excerpta habitatum ab orthodoxis concionum, non tantum sermonibus per compita, fora, naves, pandochea, tabernas, sed & editis libellis agitata: qualis ex. gr. tit. *recapitulationis* ex concione *Festii Hommii* Leidæ habita ad Rom. 8. v. 28.

Artificia calumniatorum theologorum (ita appellare liceat) pleraque in eo consistunt, quod ne in benigniorem partem interpretentur, quæ tamen possent & deberent, si gutta caritatis adesset,

1. *Vocula* alicui aut phrasi sive obscuræ, sive catachresticę, sive etiam incommodæ (quæ per *misopoeia* aliquod in fervore discepcionis in libro elenctico aut apologetico, aut pro concione forte excidit) dentem infigunt; *sceleratum est*, ait Lutherus tom. 1. oper. latin. pag. 415. *cum noveris piuum & sacrum esse alicujus sensum, ex verbis incommode dictis statuere errorem*. *Chrysostomus in Galat. cap. 1.* „Non convenit sermonem per se nu-
,, dum examinare, sed observare mentem scribentis. In humanis enim sermo-

*Anglicæ aut.
fidei ad.
religiosi.*

728 DE CALUMNIA, OBTRACTATIONE, &c.

monibus, nisi hac ratione usi fuerimus, expendentes, quid senserit is, qui loquitur, inducemus similitudines, omnia subvertentur.

2. Quod ipsum autorem adhuc superstitem mentis suæ optimum interpretem (imprimis si sit ejusdem religionis & communionis) præsentem prius audire aut per literas absentem compellere aut maligne nolint aut otiosè negligant, priusquam ad condemnatoria judicia & scripta *ἡγὶς δὲ πικρὰ* aut satyrica festinent: sive invidia, sive vindictæ cupiditate, sive superbia, ad hoc stimulante.

3. Quod verba aliqua à reliquo contextu avulsa exhibent: omissis antecedentibus & consequentibus; quæ sensum auctoris aperiunt. Quasi quis atheus scripturam traducturus aut derisurus ad imitationem tabellaticorum (liceat ita *ἰσοκαταποικίειν*), exhibeat illa verba: *Non est Deus* Psal. 14. & *faciamus mala, ut eveniant bona* Rom. 3. & *Edamus, bibamus, cras enim moriemur* 1 Cor. 15.

4. Quod consequenter, in interpretatione sensus à scriptore aut lectore, aut disputatore, aut oratore intenti, ludant & illudant fallacias amphiboliæ, compositionis & divisionis, accidentis, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, *ἰπεροχρήσιμος*.

5. Quod objectio sive indirecta sive ad hominem, sive per impossibile & ab absurdo consequenti, sumitur pro ipsius auctoris sententiâ.

6. Quod in verbis citatis aut exhibitis, vocula aut particula aliqua omititur; & sic ex negante oratione affirmans, ex conditionali absoluta, & vice versa edolatur: sive ex imperitiâ (quod semi-literatis, aut vix semi-literatis, haut infrequens), sive ex animi morbo.

7. Quod, vox aliqua voci substituitur, aut synonyma alteri synonymæ, sed magis propriæ, distinctæ aut emphaticæ, saltem minus duræ aut odiosæ imperitiis, aut semi-literatis.

8. Quod vox, aut particula, aut oratio, aut pars subjecti aut prædicati additur: ex figmento, aut per odiosam consequentiam tortoris.

9. Quod malè transferunt ex linguâ originali Græcâ, Latinâ, Gallicâ, Anglicâ, Belgicâ, &c. Hinc quidam apud Muretum in variis lectionibus lib. 2. c. 2. aliquos interpretes bonorum auctorum ex idiomatè Græco in Latinum appellabat *contortores librorum*. Nos in libris theologicis exemplum unum atque alterum indicabimus. Slaetius paricida in infami suâ tabella provocatoriâ, in Paræi verbis *τὸ reus verterat Verdoemt*: quod cognitioni linguæ Latinæ repugnat. Alii, sed anonymi verterant in thesibus D. Gomari de prædestinatione *τὸ homo creabilis, een ongeschapen niet*; ut plebi imperitiori magis odiosum aut ridiculum redderent. Idem *τὸ necessitas* vertebant *Moet dwangh*, (quod propriè notat *coactionem*) eâdem intentione. Nisi maluisse

sent *onze* *quatre*, facile poterant, immo debebant technologemata illa vertere, *Scheppelijck* vel, *die konde geschapen werden* &, *nootsaek* / *nootsaekelijckheyt*. An fideliter & pressè terminus *possibilis*, verteretur een niet, vel een ongeschapen niet; judicent Latinæ & Belgicæ linguæ periti. Certe Græcum *divans* absurdè à Latinis verteretur, *nihil* vel *nihilum*, vel *increatum nihil*.

10. Quod propositiones aut phrasæ, malè sonantes, aut ambiguas, aut periculosas, aut imperitiorum offensivas, faciant hæreses in formâ.

11. Quod numero studentes, quævis arripiunt, etiam optimè dicta, ut adversarium suum gravent, & suspectum reddant; aut ipsi errores suos jacto hoc retorsionis pulvere, quodammodo oculis subducant. Ita *Vorstius* tot tantorumque errorum manifestus, *Lubberto* theologo Franckerano 99. errores per retorsionem impingebat; ad quos *Lubbertus peculiari tract.* respondit. Et Remonstrantes novitatibus & heterodoxiis suis ecclesias Belgicas perturbantes, iisdem aut earum pastoribus nescio quas novitates & heterodoxias, in secundâ suâ Remonstrantiâ exprobrabant. Quos orthodoxi in secundâ suâ contra-Remonstrantiâ refutârunt. *Richeomus* Jesuita Papatui suo tot tantisque idololatriis infami aliquo modo succurrere voluit, evulgato scripto de Idololatriâ Hugonoticâ. Aliorum novaturientium aut novantium similem retorsionis methodum alibi forte indicabimus.

Hanc & sequentem Disputationem alibi collocandam, si ordinem systematis theologici spectemus, visum fuit hoc loco exhibere.

D I S Q U I S I T I O

Ad Thomæ 1. 2. quæst. 68. 69. 70.

DE DONIS, BEATITUDINIBUS, ET FRUCTIBUS SPIRITUS.

Resp. ADRIANO ab AMERONGEN Vadæ-Gelro 29. Junii 1666.



Cholastici non paucas in theologiâ suâ opiniones formârunt. 1. Ex locis scripturæ malè intellectis. 2. Ex scriptis antiquorum aut intermediariorum Doctorum: sive genuinis sive suppositiis (ex. gr. ex. libris *Dionysio Areopogita* adscriptis): sive vera sive falsa asserentibus. 3. Ex glossis seu interpretationibus sensus scripturæ apud patres occurrentibus; sensus, inquam, non tantum literalis, sed & mystici, allegorici scil., aut anagogici, aut tropologici. 4. Ex philosophi alicujus